



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1712**

Q. 228 Quotuplex sit, & quomodo fieri possit reservatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42433**

nem, possunt enim illam delegare aliis vel plenè vel restrictè tantum, *Dicast. d. 11. n. 4.* Unde posset etiam Parochus reservare respectu illius, cui à Parocho debet delegari *jurisdictio*, *Mai. Pasq. Dicast. contra Suar. Busenb.* & alios.

1601. *Q. 228.* Quotuplex sit & quomodo fieri possit *reservatio*. *R. §. 1.* Reservatio potissimum est duplex, pœnalis & medicinalis. Pœnalis est, quæ sit in odium & poenam alicujus peccati. Medicinalis, quæ sit propter bonum fidelium, vel ob rectam gubernationem alicujus communis.

1602. *§. 2.* Putat *Gobat t. 7. n. 260.* tum esse poenalem, si habeat censuram annexam; medicinalem, si non habeat censuram annexam: *Castrrop. t. 2. d. 1. p. 17. n. 8.* vocat pœnalēm, per quam delictum ipsum specialiter prohibetur vel punitur; medicinalēm, per quam delictum non specialiter prohibetur vel punitur, sed tanquam simpliciter reservatur: Hoc videtur certum, si reservatio supponat delictum & addatur ex suppositione illius commissi, tum esse pœnalem; è contrā tum esse medicinalēm, si non supponat delictum, sed ponatur velut medicina præservativa, ne delictum fiat vel repetatur, & ideo videtur dicendum, quod reservationes omnes, quæ de facto dantur, sint simul medicinales.

1603. *§. 3.* Reservatio fieri potest vel directè vel indirectè: Directè fit, cum quis jurisdictionem **Confessarii**, quam restringit, habet sibi subordinatam, ut Episcopus Parochi sibi subjecti, quam ideo directè potest ab eo auferre, suspendere, restringere. Indirectè fit, cum quis jurisdictionem **Confessarii** non habet sibi subordinatam;

natam, eò quod hic non sit ejus subditus, suum tamen subditum eidem subjicit quoad aliqua tantum peccata & non quoad omnia, in hoc enim casu subditus hujus Episcopi non subjicitur isti Confessario quoad illa peccata, quæ sibi reservat iste Episcopus, adeoque hic Confessarius non potest ab iis absolvere, cùm careat jurisdictione in pœnitentem, respectu istorum peccatorum.

*Q. 229. Quænam peccata reservari possint, vel de facto reserventur.* *R. S. 1. Reservari possunt atrociora quædam & graviora delicta, uti habet Trid. sess. 14. De pœn. c. 7. Possent etiam reservari veniam, quia licet multis aliis modis deleri possint, tamen secundum dicta n. 1549. per Sacramentum pœnitentiæ remitti non possunt, nisi ex vi jurisdictionis dependentis ab Ecclesia, quæ posset eam negare vel limitare, Suar. Cón. Fill. Lugo, Dicast. d. 11. n. 26. Aversa q. 17. s. 2. contra Vasq. Multò magis reservari possent mortalia negativè dubia, quia secundum dicta à n. 606. est obligatio confitendi illa: de facto tamen non solent reservari nisi certò mortalia, & reservatio, cùm sit odiosa secundum dicenda n. 1684. strictè est interpretanda nec extendenda ad casum dubium, Suar. Hurt. Lugo d. 20. n. 18. Dicast à n. 88. Aversa suprà. Nec obstat, quod Clemens VIII. 9. Jan. 1601. prohibuerit absolutionem à casibus etiam dubiè contentis in Bulla ecclæ, nam 29. Nov. 1602. in alio Decreto de re eadem omisit illa duo adverbia, clare & dubiè, adeoque videtur revocasse prius Decretum Viua ad 3. prop. Alex. VII. n. 9. Pelliz. apud Diannam p. 10. t. 14. R. 8. Sanch. tamen in Decal. 1. 1. 6. 10. n. 74. putat peccatum in dubio reservari,*